

20 A. B. 246 VD16  
EPIGRAMMA AD LE  
torem T. T.

Ponere Romani statuas ad templa solebant;  
Ornantes variis haec monimenta modis  
Discret ex illis primum ut Romana iuuentus  
Præmia virtutem maxima quæque sequi.  
Atq; simul studium veræ virtutis amaret,  
Ante oculos cernens fortia facta patrum.  
Sed nunc non opus est statuis nec imagine picta,  
Quæ pascunt oculos mens aliena manet,  
Postquam subiecta est oculis spectanda priorum  
Virtus, quæ in libris inspicienda datur.  
Hinc modo sumantur stimuli virtutis, & alta  
Mente reponamus ardua gesta ducum.  
Nam docet iste liber quæ sit virtutis imago,  
Quid deceat cunctos dedebeatq; bonos.  
Indicat immensis quæ sint ab origine mundi  
Facta, quibus laudem qui meruere duces.  
Admonet & veram pietatem præmia iusta,  
Ultrices poenas facta maligna sequi.  
Imperiique statum, quantisque Ecclesia semper  
Sit turbata malis, hinc quoque scire potes.  
Deniq; mortalis quæ sint discrimina vitae,  
Hoc speculum nobis omnibus esse potest.  
Nunc decet a cunctis summo virtutis amore  
Res gestas veterum nocte dieq; legi.  
Crescat ut in nobis studium pietatis, & ipsa  
Nos iubeat virtus optima sponte sequi.

1408-652 01